MORBUS BRIGHTII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
PERILLUSTRIS CELEBERRIMI AC
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
SPECTABILIS
DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
MEDICINAE DOCTORATUS LAUREA
SUMMISQUE
IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
IN ALMA AC CELEBERRIMA REG. SCIENT.
UNIVERSITATE HUNGARICA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

FRANC. ALOYSIUS RÖDERT.
BOHEMUS.

BUDAE,
typis Joannis Gyurián et Martini Bagó 1843.

Conveniens homini est, hominem servare, voluptas:
Et melius nulla quaeritur arte favor.

Ovidius.

CELEBERRIMO

DOCTISSIMO ET CLARISSIMO

DOMINO

LUDOVICO TOGNIO,

MED. ET CHIR. DOCTORI, PATHOLOGIAE GENERALIS ET PHARMACOLOGIAE PROFESSORI IN REGIA UNIVERSITATE HUNGARICA ORDINARIO ET PUBLICO, SOCIETATIS MEDICORUM ET NATURAE SCRUTATORUM MOLDAVIAE, C. R. SOCIETATIS MEDICORUM VINDOBONENSIUM, SOCIETATIS MEDICORUM BEROLINENSIUM HUFELANDIANAE, ITEM SOCIETATIS ETNOLOGICAE PARISIENSIS CORRESPONDENDI; REG. VERO SOCIETATIS NATURAE SCRUTATORUM HUNGARIAE ORDINARIO MEMBRO etc. etc,

VIRO

INGENIO, ARTE ET ANIMO

AEQUE MAGNO

IN SUMMAE VENERATIONIS SPECIMEN

HASCE PLAGELLAS

VOVET

AUCTOR.

§. 1. Priscis iam Medicinae temporibus cognitum fuerat, affectiones renum morboras non raro origini hydropis ansam dare; saeculo autem proxime praeterlapso ad finem vergente id quoque in aprico erat, quod urina nonnullorum hydropicorum albuminum teneat; ambas tamen has cognitiones — affectionis scilicet renum morbosae, contentique in urina albumini — in ideam unius, eiusdemque formae morbi conjungere, affectionem hanc renum pathologicam uberius investigare, nec non domonstrare, quod in cadaveribus hydropicorum illorum, quorum urina vita durante albumino scatebat, constanter peculiaris quaedam renum mutatio organica locum habuerit, haec inquam omnia nostro reservata fuere aevo, quo cel. Angliae Medicus Dr. Bright primus de hac re meritum sibi posuit. — A quo autem tempore Bright experientiam suam, suasque observationes publici fecerat juris (1827), morbi haec forma objectum constituit diversarum, nequaquam omni fructu carentium investigationum, quarum resultata finalia, in quantum tenerae meae admittunt vires, hic loci succincte exponere animus est. —

§. 2. Singularis hic status renum pathologicus, quem Bright granulosam renum adfectionem compellavit, prout in hoc v. illo symptomate natura huius morbi fundari credebatur, diversis; a diversis auctoribus insignitus est nominibus: Rayer *Nephritidem albuminosam*, Solon *Albuminuriam*, Anderson *Hydropem renalem*, Christison *Granulationem renum*, alii *Albuminurorrhoeam*, *Onorrhoeam* etc. morbum hunc vocant. Cum tamen nulla ex his denominationibus naturam morbi sufficienter illustret, imo ansam facile confusioni praebeat; ideo exemplo plurimorum cel.

auctorum stipatus, datum statui huic pathologico in honorem et memoriam inventoris meritissimi nomen Morbi Brightii retinere placuit. —

Anatomia pathologica.

§. 3. Ex mutationibus, quae in cadaveribus hoc morbo defunctorum invenire licuit, unica solum constans est, et haec in alienatione substantiae corticalis renum locata est. Et hic quidem ante omnia glandulae mutationem experiuntur ita, ut initio lympha plastica, constitutionis peculiaris, infiltrentur, unde auctum earum volumen — hypertrophia — repetendum. Sequela huius dein hypertrophiae est, compressio telae interglandulosae, et sic subtilissimarum ramificationum vasorum sanguiferorum, et canaliculorum urinalium, ita, ut hi non raro perfectam etiam obliterationem experiantur.

§. 4. Exactissimam status huius pathologici descriptionem Rayer dedit, qui, prout malum iam magis, iam minus evolutum est, sex eiusdem agnoscit gradus.

I. Gradus mutationis abnormis consistit in congestione sanguinis ad glandulas Malpighianas, a qua omnia, stadium isthoc characterisantia phoenomena, tamquam secundaria symptomata derivanda veniunt. Glandulae Malpighii sanguine turgidae et expansae sunt;—in sequelam huius expansionis volumen earum saepe notabiliter augetur, et pondus horum organorum, quod apud adultos in statu normali 4 — 4 ½ uncias aequat, nunc ad 8—12 unc. ascendit.—Consistentia etiam evadit durior, quam in statu sano, superficies autem morbose rubens, copia punctulorum rubrorum quasi conspersa, visui se sistet. Renes transcissi, in substantia corticali notabiliter tumente, copiam magnam punctorum rubrorum, glandulis Malpighii, sanguine repletis respondentium, exhibent. — Substantia medullaris, per corticalem compressa, est pallidior, minusque striata, quam in statu normali. Membrana mucosa calycum renalium est injecta.

Contentus his glandulis, albumino et fibrina dives sanguis; in sequentibus tantum stadiis mutationes successive experitur, ante omnia privatur materia sua tingente, quae partim absorptione, partim cum urina eliminatur. Praesentia igitur sanguinis in urina principale incipientis morbi Brightii momentum constituit.

II. Gradus. Volumen et pondus renum adhuc magis increscit, sed consistentia eorum mollior evadit — singuli lobuli manifestius marcati. — Characteristicum huius stadii signum constituunt plagae complures rubromarmoratae in fundo albo-flavescente. Transcissis renibus, color tumentis substantiae corticalis pallide flavus, a substantia medullari rubra, multum discrepat. —

Gradus hic secundum Becquerel transitum constituit gradus prioris in sequentem.

III. Gradus. Volumen et pondus renum rursum auctum, sed nec rubra, nec marmoracea in iis visuntur puncta, sunt ergo sanguine vacui. — Substantia corticalis pallide rubra in flavescentem vergens, ad colorem carnis anguillae accedit. Consistentia potius imminuta quam aucta cernitur.

In gradu isto glandulae omnes aequaliter hypertrophisatae, atque massa flavescenti albumino-fibrosa infiltratae deprehenduntur, cuius metamorphosis nunc primo inchoans, nullam adhuc notabilem consistentiam assecuta est. — Vasa sunt compressa, hinc injectio difficulter et minus perfecte succedit.

IV. Gradus. Eodem tenore, quo volumen et pondus renum augetur, mutatur quoque eorum superficies, haec etenim utplurimum pallide flavescens, nunc punctis parvis lacteo albis, in flavum inclinatibus, magnitudine capiti spinteris aequantibus, conspersa quasi deprehenditur, quae praecipue finem renum superiorem et inferiorem occupant, et levi quasi vernice (Firniß) illinita conspiciuntur. Ceteroquin superficies renum perfecte laevis est. Transcissa substantia corticalis a medullari rubra multum abludens, inter singulas pyramides hypertrophisata occurrit. Puncta illa lacteo-alba — *Gra-*

nula Brightii — hic linearum irregularium instar comparent, prolonganlur inter strias divergentes substantiae medullaris, atque versus peripheriam renum, basimque pyramidum praecipue in conspectum prodeunt, ubi quoque loco occurentes singulos tubulos comprimunt.

Granulationes illae levi vernice obductae, quibusve magna passim significatio tribuitur, originem suam exinde repetere videntur, quod alienata et materia albuminosa infiltrata glandula renalis, faciem applanatam, splendentem glutinosam offerat, quae singularis proprietas, materiae infiltratae plasticae tribuenda est.

V. Gradus raro observationis obiectum constituens, distinguitur superficie sua granulosa, quae producitur copia ingenti granulorum, sedem suam infra membranam propriam figentium, superficieique renum aspectum, quasi semina synapis infra hanc membranam dispersa forent, procurantium.

Gradus hic generatim in illiis casibus observabilis dicitur, qui decursu admodum acuto insigniuntur. Becquerel eius est opinionis, quod in hac, a se saepius observata forma non omnes glaudulae mutatae occurrant, quae autem mutatae sunt, has a circumdante textu celluloso solutas exstare praetendit.

VI. Gradus. In hoc renes minoris saepe, ac in statu normali sunt voluminis, superficiei verucaeformis, et duri. Canaliculi eorum contorti pluribus in locis manifestius in conspectum prodeunt; in superficie renum externa paucae, aut nullae plane granulationes conspiciuntur, renibus tamen transcissis granulorum copiam non determinandam invenire licet.

Durities renum, progredienti semper mutationi glaudularum, quae posteriores majorem consistentiam nactae sunt, adscribenda venit. Quod vero in nonnullis locis nullae granulationes occurrant, id facile exinde explicari posset: quod increscente glandularum alienatione textus interglandulosus magis, magisque comprimatur, et tandem evanescat, granula hac ratione semet contingunt et confluant, coloremque aequabilem nanciscuntur, granulationesque in illis solummodo locis inveniuntur, in quibus glandulae minus mutatae adsunt.

§. 5. Conspectus synopticus signorum characteristicorum.

Gr. 1. Incrementum ponderis, et voluminis renum — puncta parva rubra in substantia corticali.
Gr. 2. Maculae flavescentes, marmoratae in substantia corticali.
Gr. 3. Substantia corticalis pallida — dilute flava, nullae flavae, nullae marmoratae maculae.
Gr. 4. Granula, i. e. parva, lacteo-alba, parum flavescentia puncta, imprimis ad margines occurentia, vernice quasi obducta.
Gr. 5. Lobuli marifestiores, infra tunicam propriam granula dispersa — quasi semina synapis — conspiciuntur.
Gr. 6. Renes duri. Superficies inaequalis varicosa.

§. 6. **Bequerel** sex istos gradus ad **tres** reducit, nempe:

1. Gr. Evolutio glandularum Malpighii provocata per congestionem sanguinis, et — ut verosimile est, per compressionem vasorum, easdem circumdantium. Morbumque Brightii in hoc tantum gradu sanabilem dicit.
2. Gr. Hypertrophia glandularum, producta per infiltrationem materiae parum consistentis, flavae albuminosae, quae probabilius metamorphosi sanguinis, materiam tingente privati, in stadioque primo congestiones causante, repetenda.
3. Gr. Hypertrophia eorundem organorum, cum degeneratione alba aut fláva, quae eo magis in oculos incidit, quod non omnes glandulae aequaliter mutatae conspiciantur. Si degenaratio haec universalis sit, tunc substantia corticalis alienata aspectum uniformem exhibet.

§. 7. Causa tam diversarum mutationum, quas sub autopsia demortuorum, in quibus morbus iisdem fere symptomatibus stipatus incessit, observare licet, probabilius quaerenda est: a) in acuto et chronico charactere morbi; — in casu priori mutationes in substantia corticali occurrentes mi-

nus evolutae, minusve characteristicae sunt, quam in altero; — b) in vitali resistentia cuiusvis individui. In quibusdam individuis symptomata morbi majori cum vehementia ingruunt, pluraque organa sympathice adficiuntur, quam primum renes alienari incipiunt, lethalitasque celeri incedit passu; dum in aliis, turbae functionum aliorum clandestino modo procedentes vitam praecipitant.

§. 8. In genere affectio haec morbosa utrumque renem eodem prehendit in gradu, raro admodum status hic pathologicus in hoc vel illo rene magis evolutus observatur. In gradibus ultimis potissimum velamenta renum membranacea, si non ex toto, certe pro parte incrassata, et cum superficie renum firmius concreta deprehenduntur.

§. 9. Mutationes pathologicae in aliis organis.

a) Hydropsiae. Character generalis morbi Brightii consistit in nisu infiltrationes serosas provocandi, quae spectata frequentia, qua occurrunt, sequenti se excipiunt ordine. Frequentissime occurrens, adeoque primum locum sibi vindicans est, infiltratio textus cellulosi aut universalis — Anasarca — aut partialis — Oedema. — Casus in quibus haec infiltratio non esset, adeo rari sunt, ut ad exceptiones pertineant. Sequitur: Ascites, Hydrothorax et Hydropericardium. Infiltrationes Arachnoideae rarissime occurunt. Infiltrationi autem textus cellulosi Erysipelas et Gangraena frequenter comites se adjungunt.

b) Phlegmasiae. Effusiones nonnullae serosae saepe in statum inflammatorium abire possunt; intercurrunt tamen non raro inflammationes ab illis penitus independentes; frequentes enim sub decursu morbi Brightii symptomata Pleuritidis, Peritonitidis, Pericarditidis, Meningitidis, Pneumoniae, Bronchitidis etc. observantur.

c) Ante v. simul cum morbo Brightii mutationes organicae in diversis apparatibus contingere

possunt. Saepe adest complicatio cum vitiis cordis, quae frequenter tamquam causa pathologica, in evolutionem morbi Brightii magnum exerunt influxum, nonnunquam tamen haec praegressa prius degeneratione renum, evolvi videntur. Frequenter quoque coincidunt, cum morbo Brightii, etiam pulmonum affectiones. Attentione autem summa dignum mihi videtur illud momentum, quod tametsi vitia cordis non minus quam morbi pulmonum frequentes omnino sint, morbi Brightii complicationes,—altera tamen alteram excludere videatur.

d) Cirrhose. Citius aut tardius, vel simnltanee cum morbo Brightii, evolvitur secundum Becquerel status quidam morbosus hepatis — Cirrhose — qui in hypertrophia substantiae flavae hepatis consistit, similibusque ac morbus Brightii semet manifestat signis. Secundum auctorem hunc coincidentia utriusque huius mali admodum frequens est, qui, inter 45 morbo Brightii demortuos, in 15 casibus complicationem cum Cirrhose se observasse asserit.

§. 10. Resultata Microscopiae parum adhuc lucis nobis adfundunt, hinc eadem exmittenda duxi.

Symptomata morbosa durante vita.

§. 11. Urina albuminosa, cum Anasarca v Ascite juncta sunt signa illa characteristica et essentialia, quibus praesentibus ad peculiarem renum degenerationem concludere fas erit. Omnia reliqua symptomata, uti: dolores in regione lumbali et renum, transpiratio cutanea suppressa, vomitus, diarrhoea, febris, symptomata nervosa, accedentialia sunt, et ad confirmandam solummodo diagnosim conferunt.

§. 12. Mutationes urinae. Symptomata, morbum hunc maxime characterisantia, e mutationibus in urina obviis cognoscuntur. Mutationes autem hae fundantur: 1-o in praesentia novorum elementorum, et 2-o in turbata relatione quantitatis et qualitatis.

§. 13. **Nova elementa sunt:** a) **Albuminum** cuius praesentia ab exordio, usque ad terminum morbi Brightii constans est; — quantitas tamen eius variat, pro ratione individualitatis aegrotantis, periodi et gradus morbi saepe de die in diem.

Missa — optime ante sumtum jentaculum — urina; in pocello, aut cochleari ferreo supra lumen candelae calefacta circa parietes vasis, nubeculam gignit: quae protracto calore versus medium se recipit. Urina, quae albuminum exiqua tenet quantitate, coctione tantum spumescit, hoc tamen majori copia praesente, formatur sub coctione cuticula, v. crustula alba, quae mox in floccos iam maiores, iam minores abit, hi initio in liquido suspensi, tandem fundum petunt. — Celerius quam coctione obtinetur praecipitatum adfuso *Acido nitrico.* Exiqua quantitate albumini in urina praesente, acidoque nitrico paulatim instillato nubecula formatur alba, si vero albumini copia maior adest, urina lactea evadit; praesente $^1/_{40}$ — $^1/_{20}$ albumini praecipitatum est coagulatum; $^1/_{10}$ — $^1/_8$ albumini filamenta albuminosa fundum vasis petunt. In genere urina, e quo per instillationem acidi nitrici albuminum praecipitatum est, post 24 horas evadit brunea, similis decocto Katechu, cum strato sedimentoso plus minus crasso, in fundo vasis. Consultum tamen erit reagens utrumque in usum trahere, saepe enim albuminum coctione non, acido vero nitrico omnino praecipitatur. — Ut quantitas praecipitati huius determinetur, nil aliud requiritur, quam, ut pondus praecipitati albumini subtrahetur ab illo, quod urina ante explorationem suppeditavit.

b) **Sanguis** utplurimum sub exordio tantum morbi in urina occurrens, in casibus rarissimis per totum morbi decursum praesens, urinam colore tingit rubro-bruneo. Microscopii ope irregularia et difformia granula sanguinis, speciemque detritus, probabilius resultatum chemicae sanguinis per urinam mutationis, detegere licet.

§. 14. **Modificationes materierum urinae normalium.** In casibus plurimis urina **anämicum** characterem offert, i. e. solutorum principiorum chemicorum

— ureae, salium organicorum — relativa quantitas imminuta deprehenditur. Liquidum filtratum (post coagulationem albuminis) est pallidum et limpidum, pondus autem specificum notabiliter imminutum.

Status hic anaemicus exinde probabilius derivandus est, quod individua morbo Brightii affecta, urinam albumino et fibrina minus abundentem possideant, ita, ut in iis species anaemiae evolvatur, quae causam hydropsiarum praebet.

Interdum urina characterem etiam feberilem habet, minus larga secernitur, quam communiter, estque coloris profundioris, saporis acidi, gravitatis specificae maioris, sedimentoque provisa, quod potissimum acido urico constat.

Causae characteris fibrilis probabiliter sunt: diversae phlegmasiae, vitia cordis, cirrhose, emphysema pulmonum etc. Complicationibus his sublatis urina characterem suum anaemicum cito recuperat.

Frequenter occurrit etiam urina alcalina, cum sedimentis salinis. Urina alcalina tenet fere semper copiam basium diversarum, acido carbonico junctarum, et imminutam ureae quantitatem.

Urina talis in genere est magis viscosa, quod reactioni productorum ammoniacalium in exignam illam quantitatem muci adscribendum. — Pus nunquam deprehenditur.

Demum potest urina, respectu relationis elementorum suorum chemicorum, sed tantum sub initio morbi, quoadusque individua nondum debilitata, et per inopiam sanguinis atque per transitum albuminis in urinam nedum exhausta sunt, normalis, aut fere normalis esse.

§. 15. Mutationes in sanguine. Ob continuam imminutionem albumini, quod in urinam transit, imminuitur etiam copia molecularum sanguinis, et albumini in sero; — sequela huius dein est status anaemicus universalis, qui dein evolvendi Hydropis causam constituit.

Praesentia ureae in sanguine theoretice exinde demonstrare volunt nonnulli, quod huius quantitas in urina deficiat,

ceterum chemicae investigationes asserto huic non favent. — Crustam phlogisticam sanguis praesente solummodo complicatione inflammatoria, assumit.

§. 16. Hydropiae. Harum praesentia ad phaenomena essentialia morbi Brightii pertinet, et casus, in quibus exsudata serosae indolis non contingerent, inter rarissimos referuntur.

Nisus in hydropem tunc tantum videtur locum non habere, dum affectio haec renum acutum admodum et celererem habet decursum, uti hoc v. gr. post exantlatam saepe scarlatinam, aut in tubesculosi multum evoluta serophulosique contingit.

Ad proprietates, sub decursu morbi Brightii, evolvendarum hydropsiarum sequentia momenta referuntur: 1-o. Quod hae potissimum lente evolvantur; 2do. Quod ut plurimum in extremitatibus inferioribus inchoent; 3-tio. Quod decursum valde irregularem observent, — jam enim hic evanescentes, alio erumpunt loco, jam decrescunt, jam iterum augentur; saepe altum intensitatis acquirunt gradum, — imprimis si morbus Brightii chronicum habeat decursum — alias iterum symptomata hydropis non sunt in ratione directa cum intensitate morbi, sic acuto sub decursu, tumor saepe exiguus observatur (vide §. 9. a.)

§. 17. Inter symptomata frequentiora morbi Brightii referuntur: dolores, et sensus molestus in regione lumbali, renalique. Dolor est obtusus et pressivus, non extenditur, sicut in aliis idiopathicis renum adfectionibus, usque ad testiculos, vel pudenda majora; dolor hic pressione fere semper augetur, vel, si dolor non adest, molesta sensibilitas excitatur. — Dolor in regione hypochondriaca, quem aegri saepe accusant, communiter a degeneratione hepatis provenit.

§. 18. Praeter haec alia etiam nonnunquam occurrunt symptomata, inter quae maxime constantia sunt: imminuta aut penitus sublata perspiratio, dyspnoea, saepe vomitus et diarrhoea, quae ceterum hydropem

nunquam imminuit — denique symptomata laesarum cerebri functionum, quorum apparitio fere semper mortem instantem indicat.

§. 19. Decursus. Est acutus vel chronicus. Morbus acutus orditur cum symptomatibus febrilibus: horripilatione, frigore, calore, siti, accelerato, duriusculoque pulsu, et evacuatione urinae parcae, sanguinolentae, coloris e rubello in bruneum vergentis, loturae carnis similis, e qua quiete commissa rubra, floccosa fila — fibrina — praecipitantur; reagit urina haec acide, odoremque habet post breve tempus debilem urinosum — juri carnium similem. — Mycroscopio in urina recenter missa conspiciuntur molleculae suspensae, lamellaeque epithelii, quae in quiete, una cum filamentis fibrosis fundum petunt. Post aliquot dies urina evadit lucidior, flavo-viridis, moleculasq. sangninis amittit. In urina quae potissimum libere et sine dolore evacuatur, albuminum comparet, anasarcaque caput extollit. — Morbus chronicus jam immediate qua talis ingruit, jam ex acuto evolvitur. — Individualitas aegri et complicatio in decursum hujus morbi magnum exerit influxum.

§. 20. Duratio. Quamvis non desint casns, ubi morbus spatio aliquot dierum judicatus est, potissimum tamen chronicum assumens characterem mensibus et annis aegrum affligit.

§. 21. Exitus. 1-mo. „*In sanitatem*". Symptomata hydropis evanescunt, albuminum in urina magis magisque imminuitur et tandem penitus disparet. 2-do „*in mortem.*" Tristis hic terminus multo est frequentior et inducitur vel per morbum ipsum, magis magisque evolutum aut est sequela diversarum complicationum. In casu utroque, sed praeprimis in priore vita lente extinguitur, interdum coma, symptomata alia nervosa majoris vel minoris momenti, qua mortis praecursores ingruunt.

§. 22. Diagnosis. Morbus acutus confundi posset:

1-mo. Cum Haematuria, ubi tamen nunquam deficiens dolor vehemens in hoc vel altero rene, secessus san-

guinis meri, molestaque secretio urinae signum praebet characteristicum.

2-do. Cum Nephritide; hic tamen praesentia albumini in urina transitoria solum est, tempore nempe criseos; — phoenomena hydropis penitus desiderantur.

3-tio. Cystitis differt a morbo Brightii acuto dolore in regione vesicae, qui pressione ad perinaeum vel ad regionem ossium pubis vel per vaginam multum augetur, nisus urinam mittendi, quae guttatim vehementissimos inter dolores effluit, febris, sitis nimia etc. symptomata sunt, in morbo Brightii non occurentia.

4-to. Morbus lente decurrens confundi posset, cum vitiis cordis, quae passivam hyperaeniam renum et sic periodicum albuminis secessum provocare queunt; haec tamen et cum morbo Brightii frequenter coincidere possunt. — Si morbi cordis sine cotemporanea renum degeneratione infestant, tunc albumini in urina praesentia est inconstans et multo minori quantitate; nullae porro adsunt mutationes in urea et in gravitate spec. urinae abservabiles, dum haec in morbo Brightii semper specifice levior est, quod a defectu ureae, saliumque repetendum videtur.

5-to. Diabetes — ubi post superatum, felici successu morbum, secundum Duputren et Thénard, donec sales et urea rursum comparuerint, albuminum in urina continetur, — essentialiter differt a morbo Brightii, inconsueta, quae mittitur, urinae copia, saccharo, quod in hac urina continetur, absentia symptomatum hydropicorum, nec non eo, quod albuminum periodice tantum in urina diabetica occurrat.

6-to. In affectionibus medullae spinalis paraliticis: „in apoplexia, post commotiones", albuminum quidem in urina saepe comparet; hic tamen symptomata concomitantia effectiones has morbosas, sufficientia suppeditant signa discriminantia. Denique

7-mo. In urina quoque „*Sanorum*" potest interdum albuminum contineri, uti, post absumtas certas materias nu-

trientes v. g. panem non rite percoctum, cibos farinaceos, pinques vel etiam post leves turbas digestionis et in casibus rarissimis etiam in urina gravidarum, ubi tamen phoenomenon hocce transitorium est, nullaque hydropis comparent symptomata.

§. 23. Morbum in primis duobus gradibus versari conjectare licet, si dolor, albiminosaque, ceteroquin in reliquis suis partibus constitutivis non mutata urina, febris sine reliquarum functionum turbis, hydrops acutus adessent. Si autem nullus amplius dolor, urina autem pallida, specifice levior, multum albumini tenens, anasarca, turbae digestionis, symptomataque cerebralia adfuerint, ad gradum tertium et quartum concludere fas est.

Aetiologia.

§. 24. Argumenta plura: dispositio sanguinis, albuminum, assimilanti suae destinationi detrahere, et excretioni per urinam tradere; causae morbum hunc potissimum provocantes, uti: abusus spirituosorum, suppressio functionis cutaneae etc. porro illud momentum, quod uterque ren simul degeneret, quodve morbi, uti: vitia cordis, phthysis pulmonum etc. ergo causae, quae discrasiao sanguinis favent, cum degeneratione renum saepissime conjunctae incedant, imo fors eam praecedant, — id annuere videntur, degenerationem hanc renum a peculiari humorum corruptione provocatam fuisse, i. e. *causam proximam, naturamque morbi in singulari sanguinis discrasia esse querendam.* — Utrum tamen per hanc discrasiam sanguinis provocata degeneratio renum effectus sit inflammationis (Bright, Gregory, Mateer, Gluge et alii) vel hypertrophiae substantiae corticalis (Andral) aut hypertrophia glandularum Malpighii (Becquerel) vel denique degenerationis tuberculosae (Henle) vel adiposae (Hecht) sub judice lis est.

§. 25. Causae excitantes. Praesente dispositione, quam ponit aetas inter 30.—60. annum, vel per certam vivendi rationem, habitacula humida et frigida acquisita constitutio cachectica — abusus potissimum potuum spirituosorum, suppressio functionis cutanae per repentinam temperaturae mutationem ad genesim morbi Brightii quamplurimum conferre videntur. — Confirmatur etiam, quod exanthemata acuta, impriinis autem scarlatina in periodo desquamationis morbo Brightii libenter ansam darc. soleant. — Causae hae omnes tales sunt, quae discrasiam sanguinis provocando, nexum partium hujus constitutivarum tollunt.

§. 25. Prognosis infausta, mortalitas = 4: 5; imo plurimi morbum hunc absolute insanabilem declarant, secundum eorum opinionem status quidem aegri emmendari, nunquam autem perfecta restitui potest sanitas; hydrops spatio aliquot mensium saepe suffertur, malum tamen continuat, hydrops tum iterum revertitur, fidelisque usque ad tumulum permanet comes. Mors insequitur jam celerius inter symptomata affecti encephali, pleurae, pulmonum, pericardii, erysipelatis gangrenosi. jam tardius post exhaustionem per diarrhoeam, vomitum, pervigilium et febrim hecticam. — Interim remedium casu detectum (vide in Therapia) spem videtur suppeditare, fore, ut hic etiam morbus artis tandem praesidio laetiorem terminum nanciscatur.

T h e r a p i a.

§. 27. Remedia omnia, adversus pertinacem, hominemque in summum vitae discrimen conjicientem hunc morbum fructu fere omni caruere. Alii, naturam morbi in inflammatione renum peculiari querentes, methodum antiphlogisticam coluerunt, alii in hydropsia maximum periculum videntes, diuretica et diaphoretica larga manu dispensarunt; qui omnes methodos incastum tentarunt, morbum periclitando sine indicatione tractarunt, aut pro objecto curationis sola sympto-

mata praefixerunt. Morbus tamen omnibus artis conatibus resistens unicam solam viam — viam ad tumulum ducere videbatur. Pauci tantum aegri sanabantur, et si hoc factum est, tunc, uti Arètaeus de sanatione hydropum dicit, restitutio sanitatis potius casui fortuito et assistentiae Deorum, quam artis auxilio tribuenda. Nec mirum! quomodo enim potest ibi effectus salutaris curationis sperari, ubi causa et indoles morbi obscura, ubi indicationem rationalem statuere, ignota vetat mali natura?!

Non habemus remedium, a quo cum fiducia salutarem in hoc morbo exspectare liceret effectum, nullum possidemus medicamen, quod sublatum nexum partium constitutivarum sanguinis ad vitalem unionem reducere valeret, quo vitam aegrorum conservare liceat.

§. 28. Quodsi fides habenda medico practico „*Dr. Hansen*, Physico circuli Trierensis casus fortuitus remedium specificum in „*acido nitrico*“, cujus virtus fors etiam rationaliter explicari posset, nobis suppeditavit. Dum itaque remedia et methodos, hucdum sine fructu adhibitas silentio praetereo, hic loci resultata experientiae Dr. Hansen de hoc remedio breviter commemorare lubet.

Investigando urinam pueri cujusdam morbo Brightii laborante, cum acido nitrico, venit Hansen ad illam ideam, utrum non idem acidum nitricum, quod in urina excreta, albuminum tam larga quantitate praecipitavit, aegrotanti etiam puero porrectum salutarem exerceret effectum. Et quia in hoc casu omnia adhibita remedia sine fructu manserunt, experimenti gratia tentavit hic medicus „*Acidi nitrici*“ drachmam semis cum eadem dosi „Spiritus nitr. aeth.“ in vehiculo mucilaginoso aegro porrigere. Sequenti die auxit dosim acid. nitr. ad drachmam et sic sequentibus diebus dosim sensim augendo ad scrupl. quatuor ascendit, et cum summo gaudio observavit, quod sub hoc tractamine anasarca minuatur, copia vero urinae augeatur, haecque minus albumini, sed e contra non exiguam salium carbonic. capiam teneat. Adhibito sic per hebdomadem acido nitrico, urina decrescente etiam tumore hydropico fere nullum tenuit albumen. Circumstantiae interim non admiserunt, urinam pueri, pro sanato declarati, ulterius investigare.

Adhuc magis favorabilia resultata expertus est idem medicus in aliis 18 aegris, ex quibus plurimi perfecte sanati, conceptam de remedii hujus virtute spem confirmare videntur. Quomodo tamen agat, et num in omnibus casibus. — Hansen

credit in omnibus casibus simplicibus, sine complicatione cum vitiis cordis vel hepatis — num solum vel tantum in connubio cum aliis remediis virtutem suam exverat, ? — Hansen fatetur, quod partim ob diversarum morbi characterem, partim e timore, ne cum remedio adhuc non satis probato, damnum inferrat, praeter hoc remedium alia etiam remedia adhibuerit: in duobus casibus acutis phlebotomiam instituit, in plurimis scarificationes in regione lumbali ordinavit, fere in omnibus casibus acidum nitricum in connubio cum Spirit. nitr. aeth. porrexit; saepe purgantia adhibuit, et in nonnullis casibus curam roborantibus terminavit — has inquam questiones multiplex, fidelisq. observatio resolvere debet. —

Quod tamen acido nitrico soli virtus haec competat, patet exinde, quod hoc et merum et in connubio cum spirit. nitr. aeth. adhibitum, curam absolverit. — Remedium itaque hoc jam a pluribus nunc medicis commendatum, summam omnino meretur attentionem.

Theses defendendae.

1. Natura degenerationis renum in morbo Brightii non fundatur in inflammatione.
2. Absque Percussione et Auscultatione diagnosis morborum pectoris organorum semper dubia manet.
3. Hydrops est symptoma non morbus.
4. Sententia, quale nutrimentum, talis sanguis; falsa est.
5. Non medicus sed natura sanat morbos.
6. Libri medici in usum perfanorum conscripti, nocent.
7. Systema plantarum naturale cum materia medica in interiori est nexu, quam antificiale, eo tamen non obstante SystemaLinéi nobis etiam summe est necessarium.
8. Ex aphthalmiis facillime ocultae organismi diatheses cognoscuntur.
9. Mater proli ubera denegans et suae et infantis sanitati male consulit.